

Græcia principium moris fuit, illa nocentes

Impia lustratos ponere facta putat.

108. Verùm quis pius est, qui non ad hasce nugas, rectiùs ineptiis ingemiscat, plusquàm Cimmerias Synagogæ Romanæ tenebras deplorans: vel saltem, (si modò in rebus adeò serijs risus locum habere potest) cum Poeta ineptissimas hasce nenas rideat exclamans:

Ah nimium faciles, qui tristia crimina cedis.

Flumineâ tolli posse putatis aquâ.

109. Blasphemys in sacratissimum Christi meritum isthæc scatere, pio cuivis est manifestissimum, qui novit Christum solum esse propitiationem pro peccatis totius mundi, ipsumq; non pro culpa duntaxat, sed pro pœnâ etiam perfectissimum & sufficientissimum Deo patri $\lambda\upsilon\tau\epsilon\sigma\upsilon\upsilon$ exolvisse. Ies. 53, 5. Mich. 7, 18. & 19. i. Ioh. 2, 2. Ioh. 5, 24. 1. Pet. 2, 24. &c.

110. Et quamvis in primitiva Ecclesia fuerit aliqua solennis pœnitentiæ & satisfactionis impositio: sine tamen opinione meriti, non omnibus pœnitentibus, sed ijs duntaxat ea imponebatur, qui enormi & graviore aliquo delicto Ecclesiam offendissent: eum in finem, ut sic excommunicati, non Deo: sed disciplinæ Ecclesiasticæ satisfacerent.

Oo

Quam